



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti
Ethicorum**

Melanchthon, Philipp

Witebergæ, 1583

VD16 ZV 20638

Quæ personæ iurare possint.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56560)

manifestum est absolutionem Pontificum com-
menticiam esse.

Rursus in casibus, ubi promissio non est reue-
ra iuramentum, non quaerenda est absolutio.
Non enim ludendum est praetextu absolutionis.
Ut cum iurat aliquis, se facturum esse aliquid à
Deo prohibitum. Aut cum alter viuo marito
promittit alteri coniugium futurum post mor-
tem mariti. Aut cum puer iuravit, qui potesta-
tem iurandi non habet, in talibus casibus promissio-
nes reipsa non sunt iuramenta, nec conscientiae
turbandae sunt, sed docendae, quoniam reipsa sunt
iuramenta.

Quae personae iurare possint.

In iuramentis & personae & res consideran-
dae sunt. Cum enim in promissione oporteat esse
deliberationem & consensum, non sunt iuramen-
ta asseuerationes earum personarum, quarum
nulla est deliberatio, ut puerorum & furiosorum,
item fraude circumuentorum, item earum, qui-
bus lex adimit auctoritatem, ut sunt pupilli. Item,
cum filiusfamilias aut filia iurat se corpus aut-
rem à patre alienaturum esse, cum tamen sit in
alterius potestate. Item cum habens mandata de
certis rebus, egreditur fines mandati, & promittit
de aliena voluntate, quam non habet in sua
potestate.

Talium

Talium personarum promissiones non sunt iuramenta, nec facere promissa necesse est, sicut Senatus Romanus promissa Posthumij ad furcas Caudinas, & Manimi ad Numantiam, pronuntiauit irrita esse, quia duces egressi erant fines mandati. Ac primo bello Punico Lutatius, & secundo Scipio pacem fecerunt cum Carthaginensibus, quae non prius valuit, quam à Senatu Romano comprobata est.

Ita dicitur usitate, valet iuramentum saltem iure superioris. Quo dicto nequaquam tamen conceditur potestas superiori, qualibet iuramenta inferiorum retractandi.

Mouentur autem hic disputationes. An, cum iurat quisquam se facturum esse aliquid, quod lege humana prohibitum est, iuramentum valeat.

Respondeo: Cum violatio legis alioqui esset peccatum, tunc iuramentum sine dubitatione est illicitum, & non seruandum. Vt si promittas latroni receptum, quod lex prohibet, aut si promittas alteri adhuc nuptiae coniugium.

Sed quando lex nec mandatum, nec prohibitio est, sed privilegium, quo sine peccato uti potest, aut non uti, tunc valet iuramentum personae habentis deliberationem, ut cum aliquis privilegio exceptus, promittit se velle pendere communia tributa. Bonae menti non difficilis dijudicatio est, con-

est, consideranti distinctionem legum, quæ sint mandata, aut privilegia tibi non mandantia.

Cæterum disputari posset à sapientibus, an ita recte consuleretur conscientijs, etiam in iuramenti metu extortis, si lex simpliciter pronunciatet iuramenta latronibus data non valere, & prohiberet solui promissa, sicut & Num. cap. 30. scriptum est: Cum pater aut maritus contradicunt mulieri iuranti, non valere iuramentum, & eam non fieri ream, cum non seruat iuramentum. Sed hanc questionem alijs relinquo cogitandam, reuerenter de re tanta iudicantibus.

DE INTERPRETATIONE Iuramenti,

Non loquimur de sophisticis iuramentis, ubi luditur ambiguitate verborum, ut multa extant exempla in historijs, ut qui pactus triginta dierum inducias, noctu populabatur agros. Ibi dictum communi more recte loquentium perspicuum est, sed calumniose deprauatur, & tales præstigiæ non possunt regulis comprehendere, sed autoritate superiorum tollendæ sunt. Sed ubi verba perspicua sunt, & nulla cavillatio est, interdum accedere interpretationem oportet. Ut aliquis iurat se daturum alteri certam domum, Hæc domus perit incendio, hic impossibilitas ad-